

## ŽIVOT BLAHOSLAVENÉHO HROZNATY

Fontes rerum Bohemicarum I, 372-373

(c.8 - *De fundatione monasterii Tepensis*) Prosperatus in itinere uenit in Boemiam, patriam sue nativitatis optatam, ubi corpori laboribus in itinere fatigato, aliquantula quiete indulta, locum amenum querit et aptum, in quo ad laudem dei et honorem virginis gloriose fundamenta claustrum primordia iacentur: et inuenito loco, in quo nunc monasterii altitudo consurgit, corruens in terram sic ait: qui de virgine nasci dignatus es, prepara in hoc loco habitacionem seruiciis tuis aptam. Et surgens ab oracione ligone arrepto profundius terram sulcat et aliquot cophinos terra honustos de fundamento primus in humeris suis portat. Nomenque indidit Topla a burgo vicino, qui ab incolis vulgariter Tepla uocatur. Est autem claustrum fundatum in optimo loco terre: nam situs loci aliquantulum est sublimis, ab uno latere cinctus siluis et pratis, uarietate florum undique purpuratus, fluentibus in medio aquis irriguis et piscosis, pellentibus circulares ambitus molendinorum, humanis habitacionibus opportunus et sanus, et religioni conueniens supra modum: locus, inquam, gracia diuina perfusus, in quo domino militantes de bonis fiunt meliores, et de melioribus optimi, de uirtute in uirtutem gradatim proficientes ad perfeccionem, prout per effectum clarissima luce liquet. Nam religione crescente licet plantacio sit novella, inter alias tamen professiones religionis eiusdem, in edificiorum structuris, prediis, et redditibus deo incrementum prestante prosperatur et crescit, ut taceam de monasterio sancte Marie virginis matris Christi, patronae ipsius, quod in altum erectum quum inexplicabili opere structure mirifice et sublimis, muris eciam ualidis et excelsis, columnis sublimibus testudinis firmitudine et pulchritudine fulciatur: ornatu interius rutilans, campanarum sonoritate precellens, ut nihil supra per omnem regionem illam uel fuisse uel futurum esse celebri sermone feratur. Quod quia per se summo omnium rerum auctori placere non potuit, ut adhuc amplius et dignius resplenderet, quam plurimis deo psallentibus preconibus, et ministris sibi completentibus, sub regula s. Augustini ordinis Premonstratensis, laudabiliter couersantibus, adornatum est.